

Gregorius IX. Fratres Pomeranis et
Pozolucensibus, quos ad perseverantiam
adhortatur, commendat. 24

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei
dilectis Filiis Rectoribus et Gubernato-
ribus Pomeranæ et Pozolucenæ salutem
et apostolicam benedictionem.

Gratias agimus gratiarum omnium largitori, qui
de tenebris errorum vos eruens veritatis sue vo-
bis lumen ostendit, in agnitionem Domini Jesu Chri-
sti vos misericorditer perducendo, quem, sicut in
Christo confidimus, agnitum diligitis, et perse-
ctius diligetis. Cum, sicut accepimus, et utique
acceptamus, dilectos Filios Fratres Ordinis Prae-
dicatorum vobis salubriter evangelizantes eundem
susipientes humiliter et devote, ac benigne trac-
tantes, ipsorum monitis, et exhortationibus, qui
vestrarum salutem sitiunt animarum, intimis af-
fectibus intendatis, quod est utique salutis via
optimum argumentum, quod sacra prædicationis
alimento saepe refecti nequaquam potestis aeternae
vite formidare defectum, cum illorum verba di-
vinitus inspirata, spiritus sint, et vita. Quia ve-
ro Christi Vicarius, licet in-sufficientibus me-
ritis constituti, fideles ejus sincera complectimur
caritate, universitatem vestram rogamus, monemus
hortamur, et obsecramus in Domino Jesu Christo
per apostolicam vobis scripta in remissionem pecca-
minum iniungentes, quatenus sicut laudabiliter
inchoastis, sequentes gratiam præeuntem studea-
tis Christo inflexibiliter adherere, irreprehensibi-
lem legem ejus, animas convertentem, salagen-
do fideliter custodire. Dictos quoque Fratres
inconfusibiles Dei operarios et co-operatores via
salutis

salutis pro amore venerabiliter amplectentes, non
deficiatis ipsorum sanam doctrinam desiderabiliter
amplexari, eorum monitis efficaciter obsequendo. Ut
autem gratiam vram erga vos efficacius sentiatis
personas, et alia bona vra sub beati Petri
et nostra protectione suscipimus speciali et pre-
sentis scripti patrocinio communiemus. Nulli
ergo omnino hominum liceat hanc paginam
nre protectionis infringere vel ei ausu teme-
rario contraire, si quis autem hoc attemptare
presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei
et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius
se noverit incursum. Datum Reate 4 Idus Ju-
lii Pontificatus Nri Anno 5